

dum certus & definitus est ille, quia semper motu suo circum-
 ambulant Solem, & ita cum quædam in superficie apparent,
 cæteræ nobis à tergo occultantur. Quamquam illi, qui
 corruptionem & generationem illarum statuunt, nunquam ad
 numerum illarum definitum pervenient. Ratione lucis quoque
 intercedere solet differentia, dum quædam lucidiores quæ-
 dam obscuriores sint, quæ diversitas à materiæ proficiscitur
 diversitate, prout nempe illa magis vel minus compacta est. Illa
 enim obscuritatem, hæc, fulgorem importat. Ut verò luce sic
 quoque magnitudine differunt. Dicit *Dng. Hevelius* quasdam
 ita extendi, ut quadrantem vel trientem Solis occupent, alias
 alii observarunt magnitudinum differentias. Hæc in quantum de
 intricatissima hac re, impræsenti constare poterat. Concedat al-
 tissimum Numen, ut indies plura addiscamus, ad ma-
 nifestandam gloriam suam.

Additamenta.

1. Potest dari locus in sphaera mundi, ubi Sol appareat instar
 annuli.
2. Venus spectata ex Sole, major apparet terrâ.
3. Luna spectata ex Sole, semper apparet plena.
4. Si quis habitaret in Luna, experiretur diem 14. diebus no-
 stris naturalibus respondentem, totidemque noctem.
5. Idem dubio procul putaret quæ sensum, terram moveri.
6. Possibile est, duos gemellos, uno momento editos, etiamsi
 uno quoque momento decesserint, esse diversæ ætatis.

